



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**ITINERARI[I] || ITALIAE || RERVMQ. ROMANARVM || LIBRI  
TRES ||**

**Schottus, Franciscus**

**Antverpiae, 1600**

Vicentia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70633)

## VICENTIA.



**V**ICENTIA, vt nunc appellant, veteres tamen Romani *Vicetiam* dixere, veluti antiqua marmora demonstrant: antiquitate cum ceteris eius tractus urbibus certat; condita, quemadmodum Sex.

Pompeius Trogus affirmat, à Gallis, cum Mediolano, Como, Verona, Brixia, Bergamo, quos Tarquinij Prisci Rom. regis temporibus Tuscos ex iis regionibus pepulisse Liuius libro v. memorat.

Spectabis vrbis in primis forum, ac prætorium magnificentissimum; atque perges deinde ad Prædicatorum fratrum cœnobium; vt videas in eius ornatissimo templo sacrâ illam spinam ex corona Christi Seruatoris nostri; quam à D. Ludouico Francorum rege dono acceptam Bartholomæus Vicetinus eiusdem vrbis Episcopus, atque ordinis Prædicatorum, in hoc olim templo dedicauit, vbi cum magna religione seruatur. Vrbis denique situm, ædificiaque perlustrabis, quæ à duobus annibus ibidem confluentibus irrigatur, habetque mercium, rerumque omnium inferendarum magnam commoditatem ex agro illo Gallico circumquaque frumenti, vini, olei, fructuumque, quæ terra producit, omnium feracissimo.

## VERONENSIS AGER.

**H**inc videas incultos, & lapidosos Veronensium campos, qui ante Veronam in collibus positam millia passuum viginti patent; & celebres sunt maximis summorum ducum aliquot victorius, aut cladibus. Referunt enim Sa-

B 5 binum